Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

omnia uiscera mea pessime cruciantur. Longinus dixit: Si uis misericordiam consequi, celerius me fac puniri, ut post obitum meum deprecer dominum, ut aperiat oculos tuos sicut aperuit oculos ceci nati. Et sententiam ei ex tabella recitari precepit, et eum gladio iussit interfici. Et statim sanctus orationem fecit, et sic eum ministri decollauerunt. Statimque preses abiit ad beati Longini martiris Christi corpus, et proiciens se cum lacrimis et gemitu et ululatu multo dicebat: Peccaui domine peccaui, et iniquitatem meam ego cognosco. Statim quoque recepit uisum, et sanus factus est ex illa hora. Accipiens autem corpus beatissimi martiris Christi Longini, inuoluit illud linteaminibus mundis, et condiens cum aromatibus optimo in loco sepeliuit. Et ipse preses Octauius postquam sepeliuit corpus beatissimi Longini, credens Christo permanebat cum predicatoribus fidei iuxta sepulchrum ipsius glorificans et benedicens deum. Passus est autem sanctus Longinus quarto nonas decembris.

Passio sancti Helarii.

Beatissimus Helarius ab infantia sua fidei se armis circumdans, misericors et beniuolus, separatus ab omni actu seculi huius, diuinis scripturis ita eruditus est ut sensum memorie pro libris haberet. Qui cum adhuc in iuuenilibus annis esset etatis, raptus a populo diaconus ordinatus est, et insistente plebe post aliquantum tempus ordinatus est episcopus. Qui precepta domini fideliter adimplebat, nullius ferens adulationem nec acceptionem personarum, sicuti est consuetudo hominum habentium spem in seculo hoc. Cum ergo in uita sua deo adiuuante omnes suos regeret filios, habebat discipulum nomine Tacianum. Videns ergo illum bone conuersationis esse, ad diaconatus honorem promouit; qui postea archidiaconus per ordinationem eius effectus est. Eodem uero tempore cum a Numeriano cesare iussio aduenisset ut christiani sacrificarent ydolis, apud ciuitatem Aquilegiam ordinatus est Beronius preses, et sedens pro tribunali iussit sibi exhiberi christianos ad thurificandum, qui in carceris custodia detinebantur. Erat autem quidam Monophantus nomine, qui fuerat sacerdos ydolorum plenus malicia. Hic ueniens ad Beronium presidem dixit ei: Non est equum quod agis, sed iube ut adducatur citius obtutibus Helarius episcopus christianorum, ut ipsius tormentis uniuersi eius corrigantur exemplo. Quo audito iussit preses beatissimum Helarium adduci. Et cum audisset Monophantus, mox abiit et inuenit sanctum Helarium legentem cum archidiacono suo Taciano. Qui dixit eis: Uenite, preses uos uocat. Quid adhuc moram facitis? Tunc sanctus Helarius dixit: Eamus in nomine domini nostri Ihesu Christi. Mox autem ut uenerunt ad auditorium, ingressus optulit se presidi cum gaudio. At ille uidens eum preses hylari uultu, cum nimia admiratione dixit ei: Quis uocaris? Sanctus Helarius respondit: Helarius uocor, episcopus christianorum. Preses dixit: Quia predixisti te christianum esse, sacrifica diis secundum precepta imperatorum; sic enim iusserunt ut omnes christiani sacrificent diis. Qui autem noluerint, diuersis penis afficientur; obaudientes autem magnum bonorum honorem consequentur. Unde acquiesce et sacrifica diis. Sanctus Helarius episcopus respondit: A puericia mea sacrificare didici domino deo uiuo, et filium eius Ihesum Christum adorare non cesso. Uacuis autem et uanis demoniis qui dicuntur dii non sacrifico. Preses dixit: Christum quem dicis te colere, a iudeorum populo est crucifixus. Sanctus Helarius respondit: Si scires uirtutem crucis, relinqueres errorem ydolorum et ipsum adorares, ut anime tue resecares uulnera; quia unigenitus filius dei omnipotens per omnia cum patre, cum uoluntate patris et sua in naturam hominum pro uita seculi huius se ipsum dedit, ut eos qui uincti laqueis a diabolo detinebantur precioso suo redimeret sanguine, et impiorum insaniam atque uanitatem quos tu colis iudicio potestatis sue mortis eterne penis abdicaret. Beronius preses dixit: Multis sermonibus et seductionibus inflasti aures meas, quasi possis michi persuadere deorum culturam relinquere, ut colam illum crucifixum, sicuti seducis alios qui te ipsis episcopum fecerunt. Sacrifica diis, prius quam per tua tormenta illi habeant correctionem. Sanctus Helarius respondit: Quem semper et nunc usque meum prouisorem patrem omnipotentem et dominum Ihesum Christum filium eius adoraui, ipsum semper colo. Tu autem demonum minister esse uideris, et non minimis tormentis eris cruciandus. Preses dixit: Qua cum fiducia loqui te feci, et deos blasphemas, et me putas demonium habere; si decidero ego superbie tue addico, et quasi blasphemum penis crucio, et compello deos colere, qui prebent huic ciuitati salutem, et per quos mundus gubernatur. Sanctus Helarius

G. xvii. kl. Apl.